

Johann Joachim Schoepffer

**Programma, Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Joachimus Schoepfferus, I.U.D. ... Ad Exequias, Quas ... Sophrosynae Mariae Schultzin/ Coniugi suae desideratissimae ... Dn. Jacobus Diestler/ Reipubl. Rostoch. Senator ... Hodie paratas cupit, Omnes Academiae Cives ... invitat : [Sub Sigillo Rectoratus d. III. Maii, A. M.DC.XCIV.]**

Rostochii: Weplingius, [1694]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774783419>


Druck Freier  Zugang



Schoepffer, F. J.,  
in  
S. M. S ch u l t z e,  
uxor. J. Diestler.

Rostock, 1694.

40.




Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn774783419/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn774783419/phys_0002)

**DFG**





PROGRAMMA,

QVO

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOHANNES JOACHIMUS

SCHOEPFFERUS,

J. U. D. & Prof. Publ. Consistorii

Ducalis Assessor.

AD EXEQVIAS,

QVAS

FOEMINÆ NOBILISSIMÆ LAUDATISSIMÆq.

SOPHROSYNÆ

MARIÆ Schulbin/

Conjugi suæ desideratissimæ,

VIR PRUDENTISSIMUS, AMPLISSIMUS,

SPECTATISSIMUSQVE

DN. JACOBUS Diestler/

Reipubl. Rostoch. Senator optimè meritis,

& provincialis Ærarii præfectus longè dexterrimus

Hodie paratas cupit,

Omnes Academia Civēs officiosè & amanter invitat.

ROSTOCHIIT ypis JOH. WEPPLINGII, Univers. Typogr.

137.



Alamitosa & subinde inopinata fata vitæ  
tam fragilis nostræ cursum intercipere &  
perturbare, adeo certum est, ut experien-  
tia, tanquam res loqvacissima, omnem con-  
trarii suspensionem evertat. Vix dies ali-  
quot elapsi, ex quò sceptra, fasces & quæ-  
cunqve præterea ad Academiæ nostræ Cu-  
ram & gloriam spectant, fidei meæ sanctis-  
simè sunt tradita; Tempestas etiam tunc  
tam serena tamq; florifera nescio in quam  
felicittatis futuræ spem velut præfagientem animum inducebat;  
Neqve enim rebus turbulentis, ubi leges, privilegia, doctorumq;  
sceptra exulare jubentur, neq; mortuorum regno præcesseant le-  
ges sapientiæ præscribere, integrum esse videbatur. Et tamen  
jam prima in re funebri verba facere eaqve typis divulgare proh  
dolor! officii religio svadet. Annon jucundissimum jam annum,  
quò quæ erant tristitiæ velo obducta, ad serenitatem quandam re-  
surgunt, lætitiæqve suæ faciem velut ex cinere resuscitant, ob-  
scurâ quadam nebulâ temperari oportuit? Annon flores iterum  
purpurascens colorib; suis ita pristinis restituuntur, ut paulò post  
flaccidi ac decidui fiant? Annon amœnissima prata ideo gramine,  
floribus picturatis, aliâqve sui voluptate vestiuntur & velut per-  
funduntur, ut refecentur, inqve orbitatem suam revertantur?  
Annon tam svavem aviium modulationem quâ horti, quâ ne-  
mora jam resonant, ingratus aliquis raucus, luctuosusq; sonus  
interpellabit & perstrepet; Vah conversum & lamentabilem re-  
rum fluxum! Vah inconstantes & nunquam hic desituras vicis-  
situdines! Adeo rebus lætissimâ, quæ pungunt & angunt interve-  
niunt, ut fragillitatis memoriam circumferamus, lætitiæ mo-  
dum temperanter habituri? Adeo res mundanæ spem suam in-  
terrumpunt & frustrantur, ne in terrenis animum defigamus, ce-  
lestia, ad quæ nati & renati sumus, votis nostris proposituri! Et  
*DEur*, ut Nazianzeni verbis ep. 189 utar, *hæc per se ipsa mutuo, nectiu ut  
nec moror medicinâ careat, nec lætitiæ experti discipline sit, atq; ut incon-  
stantiam & varietatem, quæ in his rebus est, contemplantes, oculos  
in eum solum conjiciamus.* Ecquis præsentem vitæ lapsum tam citò  
metuisset? Videbantur ad mutuam refecctionis auxilium conspi-  
rare, quæcunqve aliàs Spiritus aut alacritatis nomen præ se ferre  
gestiunt. Quam amabilis, quam lætabundus non partes vigor  
quas

quasvis commendabat? Quàm sereni oculi post partum! Quò  
se gratulabunda ad circumstantes, facies non explicuit & effudit?  
Quam properante & tripudia velut loquente accessu, non in læti-  
tiam effusus Pater susceptum filiolum exosculabatur, inque sinum  
enixæ paulò ante matris suaviter reponebat? Profectò si verba ad  
casus tristes tam expedite fluere vellent, sicut in lætis ad volunta-  
tem pleno se impetu ingerunt, in spatiosissimum, mutatà jam re-  
rum facie, condolendi campum excurrerem. Tam profundè  
scilicet Senatorii Viri, Amplissimi DN. DIESTLERI, multiplica-  
tum dolorem jam ad animum mittunt, quotquot ejus humanita-  
tem, beneficentiam, & merita in Rostochiensè Rempubl. largi-  
ter propensèque collata, æqvà animi æstimatione & memorià  
metiuntur. Vah quò dilabuntur viri hujus optimi fatà? Quar-  
tam jam amisit ille per mortis naturalis vulnera amicissimam vitæ  
& thorisociam! Si recordantur viri boni, quàm integro quamq;  
perplacente uxores ille suas singulas amore prosecutus & com-  
plexus est, non absq; misericordiæ significatione tot vicissitudines,  
tot thalami jacturas aspicere, juxta & deplorare possunt. Condoleo  
ego, & quibus naturam non faxea inclementia finxit Rigescit ferè  
penna tot calamitatibus domesticis, quæ unius viri, in quem im-  
petum faciunt. patientiam exercent, firman & ampliant. At  
verò quid juvat gemitibus pectus constringere, suoq; succo ex-  
haurire? Quid prodest femur percutere, cum quæ sunt adhuc  
vires, inde magis langvescunt & absumentur? Ad quid oculo-  
rum fontes aperiuntur, ut lacrymis ferè diffluere velimus? Eò  
potius respiciendum, eò annitendum, ut in mutuam levamen,  
quò inflicta vulnera mitigentur, operam, studiumque confera-  
mus propensissimum. Neque Deus humanum genus adeò ab-  
jecit, ut nullus neque Consilii neque auxilii locus sit, sed quem-  
admodum externæ corporis nuditati clementissimè prospexit,  
ita contra mortis tumultum, horrores, larvatumque tericulum  
variis homines rationibus instruxit. Gentilium si molimina, si  
rationes circumspicientes, si varia mentis contra mortis impe-  
rum consilia exquirere, pariter & in medium afferre, operæ pre-  
tium est, nescio in quibus solatii aut inventionibus aut deliciis tur-  
bas suas componere studuerunt; Cumque lex moriendi surda,  
dura & inexorabilis videatur omnibus, ut necessitatem suam  
absque ulla exceptione singulis imponat, Senecà inter alios que-  
rente lib. II. quæst. nat. cap. ult. *Mortem nulla diligentia evitat, nul-*

(2

la fe-



*la se'ctas domat, nulla potentia vincit, hunc tanquam præcipuum*  
*argumentorum fontem, quibus mortis inclementiam frange-*  
*rent, aut spernerent, sapientiores de pago sibi constituerunt.*  
*Eò spectant verba Lucani in dialog. Antiochi & Achillis p. 87. t. 2.*  
*quæ latinè versa ita habent: Quid agat quispiam? quando sic naturâ*  
*comparatum est, ut omnes prorsum cogantur semel vitam relinquere; que*  
*lex cum in universum obtinuit, nec abrogari ullo modo queat, patienter*  
*hanc ferat oportet. Eò animum convertit Plutarch. l. de consol. ad*  
*Apoll. p. 206. Quid admirationis, inquit, meretur res, si scissum*  
*est, quod erat naturâ scissile, aut liquidum, quod liquidabile, aut crema-*  
*tum, quod ustile, aut perit, quod erat ita natum, ut interire possit?*  
*quando enim non inest in nobis mors. Et qui non? inde Socrates re-*  
*ferenti, quod illum Athenienses mori decrevissent & natura illos,*  
*respondit Diogen. Laert. l. 11. in vita Socrat. Proposuerunt dein-*  
*de animo tot Celeberrimos Viros Scipiones, Decios, Codrum Re-*  
*gem Atticum, Menæceum Thebanum, Socratem, Theramenem*  
*aliosque, quos amor in patriam eò partim commovisset, ut vitam*  
*sponde suâ adversus hostes profuderint, partim sapientiæ studium*  
*ad eam alacritatem elevasset, ut neq; suorum, neq; suam mortem*  
*iniquo animo tulerint, aut in malis posuerint. Quid ergò illi fa-*  
*ta sua meruerent, aut aliorum exitiosam sortem multis lacrimis*  
*prosequerentur, qui tam præstantiorum Heroum fortunam vix*  
*minimo gradu æqvarent; Indeque Poeta Lucretius, ne Acherusia*  
*vita fieret h. e. anxia, sollicita, ærumnosa, animum ita erigere vo-*  
*luit lib. III. de rerum naturâ p. m. 406.*

*Lumina sis oculis etiam bonus Ancu reliquit,*  
*Qui melior multis, quam tu fuit improbe, rebus.*  
*Inde alii multi reges, rerumque potentes*  
*Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt,*  
 Post pauca *Scipia des belli fulmen, Carthaginis horror.*  
*Addere peritiores Doctrinarum atq; leporum,*  
*Addere Heliconiadum Comites, quorum unus Homerus*  
*Sceptra positus, eadem aliis sopitus quiete est,*  
*Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes*  
*Præstinxit stellas exortus uti æthereus sol.*  
*Tu verò dubitabis, & indignabere obire,*  
*Mortua cui vita est prope jam vivo atque videnti,*  
*Qui somno partem majorem conteris ævi?*  
*Et vigilans stertis, nec somnia cernere cessas*  
*Sollicitamque geris cassâ formidine mentem? &c.*

Has

Has gentiliū contra mortem meditationēs excipiebat pariter & confirmabat illa mortis imago, quā sibi varias ex morte felicitates, varias molestiarum cessationes (vaviter somniabant. Ita n. varia morborum genera, quibus corporis structura, quibus animi vires affligerentur, in eum tranquillitatis portum inciderent, ut nec medicinæ cura, nec calamitatibus terminus deesset; ita sperabant fore, ut tempestatum aut famæ insultibus & injuriis id contingeret, ut finem tandem malorum impetrarent, neque bellis, incendiis, neque calumniis & obtreccionibus ullā tumultuandā licentiā amplius concessā; ita futuris, quos nunquam tuta fides anxie metuebat, casibus tandem se subducere posse credebant, ut in se tanquam mortuos nulla libidinem suam vis emittere aut exercere posset. Audiamus jam Senecam Consol. ad Polyb. c.28. ita consolantem: *In hoc tum procelloso, Sin omnes tempestates exposto mari navigantibus, nullus portus, nisi mortis est.* It. Consolat. ad Marcum c.20. *Mors omnium dolorum & solutio est & finis, ultra quam mala nostra non exeunt.* Prodeat n. hic Cicero, orator ille eloquentissimus; *In morte, inqviens lib. VI. ep. 4. non modo dolor nullus verum finis etiam doloris futurus est.* & in Catil. IV. *mors à diis immortalibus non est supplicii causa constituta, sed aut necessitate naturæ aut laborum ac miseriarum quies est.* Plura si adducere testimonia interesset, nescio quanta illorum series conferri quiret. Sufficiat nobis jam monstrasse, quibus rationibus in id gentiles incubuerint, ut aliqua mentis quies tam turbulentis, tamq; desperatis mortis rebus aut opponeretur, aut fingeretur. Verum enim verò quàm vanæ sint illæ philosophorum persuasiones, non est, quod prolixius hic excutiam. Sit mortis imperium super omnes omninò homines immutabili lege statutum! Ast solamen miserum socios habuisse malorum. Objecerint morti corpora sua tot famā incluti, magnoque Spiritu animati Heroes! Ast miserabile aliorum exemplum seqvi, non per omnes partes videtur esse integrum, & nescio an turbati animi fluctus ad tranquillitatem reducere possit, & annon magis desperationis quàm fanitatis argumentum præbeat? Videantur vitæ hujus mala per mortem terminari! Ast quæ animi quies ibi locum invenire potest, ubi cum contrarii metu & suspitione luctandum; Et quid si præter opinionem præceps ad perniciem omnem feratur via? Adeò evanida sunt, quæcunque ex humana sibi relicta ratione in solatii contra mortem societatem recipiuntur & adoptantur? Tantum abest, ut si rebus ad voluntatem

adhuc

adhuc fluentibus, animo latis fieri oportet, scrupuli eximantur, ut novercante fortuna omnia potius in pessum eant. Et quod dolendum! immortalem mentem adeò miserè dilacerarunt gentiles philosophi, ut aut vitam ejus post decessum ex corpore in dubium vocarint, aut somno & lychno absumpto animam demortui similem crediderint, nec sensibus, si superstes esset, suo officio relictis, nec si omninò periret, prærogativa aliquâ præ bestiis homini vindicatâ; Desperationem proinde omnemque rationis abusum arguunt, & clamant omnes sententiæ illorum, quotquot in gentilium aut atheorum principia abripiuntur. Nos Christiani contrâ quem admodum ex verbo DEI renati sumus, ita ad eos solatii fontes undique perducimur, unde animæ accurata veritatis celestis intelligentia, unde conscientia serena mundities, in sanguine CHRISTI semper solatura, unde toti vera salus homini plenis rivis affluunt, inq; vitam nostram quàm suavissime derivantur. Annon scil. CHRISTUS ideò pro nobis mortuus est & resurrexit, ut peccata nostra ex piaret, mortis vires frangeret, justitiamque nostram contra omnes malorum impetus in sanguine suo publicè declararet? Quàm jucundè, quàm mirifice non aures nostræ proximè præcedente paschate affectæ sunt illo tam lætè prædicato & cantato epinicio, 1. Cor. XV. 54. *Mors absorpta est in victoriam!* Quis mortem amplius aut metueret, aut mortuum doleret? Ira DEI offensi, ad quam mors pervocabat, jam interpositâ morte CHRISTI, factaque reconciliatione, planè sublata est, inqve misericordiam omnem conversa; peccata, quibus tanquam arce sua ad terrorem incutiendum mors nitebatur, ita jam sunt in crucem CHRISTI ablata, ut quæ sit nocendi causa, amplius non inveniunt. Nulla enim nunc condemnatio est iis, qui sunt in CHRISTO JESU Rom. VIII. 1. Turbant quidem adhuc, tumultuantur variosque impetus effundunt, sed non perturbant, non frangunt non damnant, neque possunt, eos, qui solâ JESU CHRISTI gratia & redemptione conscientiam solantur. Et si diabolus tanquam terriculum objiciatur, vana jam est in eo sine viribus ira. Quò enim præsidio adversus CHRISTIANOS velit uti? Regno ipsius tanta jam est devastatio & calamitas illata, ut non sit, unde amplius in Christianorum fidem insurgere possit. Annon exspoliata imperia ac potestates inferni palàm triumphatis illis, per Christum traductæ sunt Col. II. 25. Adeo jura, munimenta, viresq; mortis abolita & comminuta sunt, ut aculeo amisso, vanâ tantum  
sui

sui specie homines illudat, non corrupendo, sed perficiendo, non  
 affligendo, sed ærumnis subducendo. Via namque per mortem  
 ad celum credentibus aperitur, & requies post tot exantlatos la-  
 bores defatigatis membris miro oblectamento conceditur. Ita  
 mors est absorpta, ut mutatis omnibus in aliam sui formam aliudq;  
 officium, Christianis longè gratissimum, degeneraverit. Utinam  
 hæc in calamitatibus nostris ita semper animo obversarentur, ut  
 defixis velut oculis eò essemus intenti, non profectò in tantum  
 dolorem, in tot lacrimas, in tam anxia lamenta, resolveremur, sed  
 modum omnibus ponentes animum ad æquitatem revocaremur,  
 plus quæ in Celis fidei nostræ certissimè proposita, quàm quæ in  
 terris caduca sũnt, consideraturi. Itaque spes jam est firma fore,  
 ut Amplissimus DN. DIESTLER eâ, quâ fide quâ in DEUM Pa-  
 trem nostrum gaudet, acerbè iterum inflictum vulnus æquo i. e.  
 Christiano animo ferat. Equidem tot malis domesticis, quibus  
 unus ille vir optimus, pro dolor! obruitur, semper parem esse velle,  
 gravissimum videtur: At DEUS T. O. M. ærumnas ad virium  
 mensuram, quas ipse largitur, irruentes sapientissimè dinumerat,  
 disponit, inque salutem nostram subinde promovendam mitigat.  
 Ut verò ad posteros etiam apertissimè constet quàm optimâ uxore  
 sæpius laudatus DN DIESTLER rebus suis terrenis amiserit  
 jam eâ, quæ par est consuetudinis ratione, ortum illius optimæ  
 Matronæ clarissimum paulò altius repetere, in ejusque sempiter-  
 nam laudem persequi juvabit. Lucem illa primam aspexit An. 1668.  
 d. i. Martii, *Stargarda* urbe Pomeraniæ Electoralis ad fluvium Ænum  
 satis Celebris. Patrem agnovit & obsequiolo amore coluit Virum  
 Plurimum Reverendum, Amplissimum atque Clarissimum Dn.  
 GABRIELEM Schulz/ Præpositum Synodi Wolgasticæ gravissi-  
 mum, Pastoremq; Wolgastæ ad D. Petri ædem longè meritissimum;  
 Matrem verò feminam Nobilissimam, magnisq; virtutibus egre-  
 giam ANNAM REGINAM PRÆTORIN, Parentes sanè opti-  
 mos, quibus adhuc viventibus quemadmodum per vitam in deli-  
 ctiis fuit, ita jam ex oculis erepta, desiderium sui reliquit tristissimū.  
 Avus paternus exstitit Prudentissimus atq; Spectatissimus Dn. DANIEL Schulz/  
 Civis & Mercator Elbingæ quondam nominatissimus; Avia paterna femina ful-  
 gidissima ANNA Schellen; Proavus paternus, plurimum Rev. atq; Clarissimus  
 Dn JOACHIMUS Schulz/ Pastor Elbingensis in Prussia; Proavia, Matrona opti-  
 ma Gildetti; Avus maternus fuit Vir Amplissimus atq; Clarissimus Dn. M. CHRIS-  
 TOPHORUS PRÆTORIUS, Rector Gymnasii Electoralis, quod Stargardæ est,  
 egregiè meritis, Avia, femina admodum Nobilis ANNA MARIA DREIERIN;  
 Proavus maternus, Dn. JOHANNES Dreyer/ Mercatorum facile Princeps Regi-  
 omontis;

monti; Proavia natales suos debuit familiæ Schwelgen / Stettini præcipuè nobili. His tam præclaris parentibus & majoribus facta B. nostra, statim post natiuitatem per lavacrum aquæ in Verbo h. e. per sacratissimum Baptismi fontem, fide in Jesum Christum conceptâ, ad vitam Spiritualem peruenit, cujus memoriam ad pietatis studium semper ut sibi in animum revocaret, nomen SOPHROSTINÆ MARIÆ accepit. Neq; studiis suis quæquam pepererunt Parentes optimi, quò variis pietatis præceptis circumspèctè imbuerent ejus animum, non in voluptatis sed virtutum obsequium formandum. Quod adeo feliciter ipsis etiam cessit, ut nec pietati veritas, nec humanitati modestia, nec pulchritudinæ morum castitas deessent. Matura jam Viro facta, Nobilissimo atq; Amplissimo Dn. Georgio Grassen, Advocato & Procuratori Regii Dicastrerii Gryphisvv. fulgidissimo, A. 1691, d. 30. April, in matrimonium collocata est. Quod conjugium utiq; semper ex voto fluxisset, nisi tam maturè infirmitate quadam ultra annum langvente correptus Maritus ille tam charus tandem animam efflare coactus esset. Finito deinde luctu tantâ virtutum, quæ B. nostra in omnium ferè amorem influebat, famâ allectus mæstissimus nunc Viduus suprâ ea, quâ fas est, frequenti honoris significatione indicatus, ipsius nuptias petiuit; In cujus etiam illa amplexus tantâ morum continentia, tam suaviter reciproca amoris promotione ipso nuptiarum die 5. Julii A. 1693, concessit, ut plena hæcenus voluptatis, plena lætitiæ in uxo thoro fuerit animorum amicissima Conjunctio. Si promptissimum obsequium, si pietatem singularem, si affabiles verborum blanditias, si tam prudentem, tam solertissimam familiæ rerumq; suarum curam, quam B. nostra in salutem omnium optimè digessit, si in quoscunq; accidentes aut egenos sive comitatem sive misericordiâ altâ mente estimaverit Dn. Viduus, non mirum, eum quævis tristitiæ signa in hominum jam oculos ingerere. Enixa quidem est illa, juuante Deo d. 19. April, filiolum mirè scitum, qui statim ac natus, sequenti die, in baptismo nominis GABRIELIS, ut maxime Rev. Dn. Avi egregiis vestigiis olim infisteret, est insignitus; videbatur etiâ initio sic satis valere; Sed paucis diebus post, cū continuis vigiliis vires tandè deficerent, neq; omni adhibita Dn. Medici operâ restitui possent, ita peperit, ut post benedictionem sacerdotalem d. 26. April. spatio, quod ab hora 9. ad 10. matutinâ interfuit, tandè ipsa Spiritum suū Domino placidè reddiderit. Quantâ fiducia, quàm præsentis animo in sanguine Jesu Christi nixa & usa, ad extremum halitum usq; suspiria sua ad Deum iteraverit, ipsiq; tantam optimo Creatori & Patri omnium Spirituum se totam permiserit & commendaverit, sat preces hæc, in quibus frequentissima fuit, demonstratum eunt. Was mein Gott tollt / &c. Heilig / heilig / heilig ist Gott der Herr Zebaoth Ie. Nun kom du schönne Freuden Krohne / bleib nichtelang. Herr Jesu Christ mein Trost du bist in aller Noth und Schmerzen / dir ich mich ergebe / ich sterb oder lebe etc. in quibus etiam ultimis ex vitâ hæc evocata placidè ad Dominum migravit. Tam beatè Matrona nostra in ipso opere Dei finiit, quò filio relicto vitam auxerat. Tu jam Amplissime Dn. Dießter / Fautor honoratissime, noli Te fatis istis ita vinci, ut patientiæ nullum locum relinqvas, sed fidem Tuam in illâ Divinæ Curæ, quâ omnia credentibus in salutem convertuntur, meditatione fortiter exerce. Deus Pater ille omnium misericordiz, qui hæcenus salutis Tuæ Curam habuit, neque jam animum eristicæ plenissimum sine quodam Spiritus Sancti levamine dimittet. Vos autem O. O. Cives Academicos ea pietatis Cura tanget, ut cum hodiernâ luce funus offerendum sit, frequenti Comitatu adesse haud gravemini, meis hæc de re precibus vestrà sic facilitate laudabiliter responsum.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus d. III. Maji, A. M. DC. XCIV.  
 Conventus fiet in Æde Mariana ad horam I.











Has gentiliū contra mortem meditationes excipit  
confirmabat illa mortis imago, quā sibi varias ex in  
varias molestiarum cessationes (s)uaviter somniaban  
morborum genera, quibus corporis structura, qu  
res affligerentur, in eum tranquillitatis portum  
nec medicinæ cura, nec calamitatibus terminus  
rabant fore, ut tempestatum aut famæ insultibus &  
tingeret, ut finem tandem malorum impetrarent  
incendiis, neque calumniis & obrectationibus ul  
licentiā amplius concessā; ita futuris, quos nunq  
anxiē metuebat, casibus tandem se subducere pos  
in se tanquam mortuos nulla libidinem suam vis  
ercere posset. Audiamus jam Senecam Consol.  
ita consolantem: *In hoc eum procelloso, & in omni  
posito mari navigantibus, nullus portus, nisi mortis est*  
ad Marcum c.20. *Mors omnium dolorum & solutio  
quam mala nostra non exeunt.* Prodeat m. hic Cicero.  
quentissimus; *In morte, inqviens lib. VI. ep. 4., non  
verum finis etiam doloris futurus est. & in Catil. IV. mor  
libus non est supplicii causa constituta, sed aut necessitat  
borum ac miseriarum quies est.* Plura si adducere tes  
set, nescio quanta illorum series conferri quiret.  
jam monstrasse, quibus rationibus in id gentiles  
aliqua mentis quies tam turbulentis, tamq; despe  
bus aut opponeretur, aut fingeretur. Verum e  
vanæ sint illæ philosophorum perſuasiones, non e  
us hic excutiam. Sit mortis imperium super om  
mines immutabili lege statutum! Ast solamen mi  
buisse malorum. Objecerint morti corpora sua  
magnoque Spiritu animati Heroes! Ast miserabil  
plum seqvi, non per omnes partes videtur esse inte  
an turbati animi fluctus ad tranquillitatem reduce  
non magis desperationis quàm fanitatis argum  
Videantur vitæ hujus mala per mortem terminari  
quies ibi locum invenire potest, ubi cum contrari  
one luctandum; Et quid si præter opinionem p  
ciem omnem feratur via? Adeò evanida sunt, qu  
mana sibi relicta ratione in solatii contra mortem  
piuntur & adoptantur? Tantum abest, ut si rebu

